



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu  
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas  
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.  
tribunali animam Deum verè quærentem paternè ...**

**Eisvogel, Veremund**

**Augustae Vindelic., 1727**

10. S. Nicolaus Tolentinus

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)

534 X. Septembris. S. Nicolai Tolentini.

Festum S. Nicolai Tolentini ex  
S. Ordine Eremitarum S. Augustini.

EXHORTATIUNCULA I.

**S**peculum desideramus admirandæ au-  
steritatis? Intueamur vitam S. Ni-  
colai, & videbimus non sine stupore.  
Hic utut sui exactor rigidissimus, tamen  
vixit semper hilaris, & jucundus. Vitæ  
rigor pacem, & spiritûs læticiam non  
aufert, sed dat, & datam conservat.

*Instructio meritoria.*

Inter mundi gaudia cui unquam fuit,  
erit, vel est bene? Fili! attendamus, ne  
in victu, vel vestitu plus delectationis,  
& delicatæ commoditatis quaramus,  
quàm necessitatis, aut Christianæ pau-  
pertatis. Natura paucis contenta est.  
Offeramus cum jucunditate spiritûs Deo  
unum, vel alterum mortificationis  
actum in mensa. Eâ finitâ visitemus San-  
ctissimum cum illo desiderabili Psalmo:  
*Quemadmodum cervus desiderat ad  
fontes aquarum.* Anima plus est, ubi  
amat, quàm ubi animat.

II.

**Q**uamtu[m] orationis studiu[m] in S. Nicolao! Erat assidu[u]m, atque ardentissimu[m]. Ut interrumpere[t], invaditur à Sathana, miserè vexatur, & flagellis crudeliter cæditur. Orare tamen pergit Vir Domini. Dilecte! non his insultib[us] opus est, ut à precibus desistamus. Sufficit unica distractio, & recedimus. *Oratio fervidam mentem requirit*, ait S. Chryso[stomus]. & si fuerit fidelis, humilis, fervens, cœlum penetrabit; unde certum est, quòd vacua non redibit. S. Bern.

*Instructio meritoria.*

Dum tempus habemus, oremus. Præveniamus lectulum ultimæ infirmitatis, ubi orare vix quidquam propter extremas, quæ nos prement undique, angustias poterimus. In compensationem orationum toties neglectarum omnia Tria SS. Rosaria persolvamus, idque vel hodie, vel aliò opportuniori Tempore. His ros[is] sternemus nobis viam pro patria cœlesti.

## III.

**O** Qualem doctrinam audio ex ore S. Nicolai! *Qui semel a Domino discesserit, ait, nusquam erit contentus. Qui autem permanserit cum eo, possidet omnia.* Chare mi! An non stulta, & fordida nimium est avaritia, cum eo contentum non vivere, qui summa felicitas, & Beatitudo omnium Angelorum, & sanctorum consummata? Aliter ecstasticus Doctor S. Augustinus cordialiter, contestans: *Æterne Deus! Te Credo, te spero, te laudo, te amo, adoro, ac benedico sine deformitate perfectum, sine quantitate magnum, sine qualitate bonum, sine tempore sempiternum.*

*Instructio meritoria.*

Sumus in bono statu? maneamus. Non nostras calamitates fucatae aliorum comparemus felicitati. Vult Deus, ut in hoc statu vivamus, non in alio, quem nos fortè optamus. Acquiescamus igitur voluntati Divinæ, & latemur in Domino semper. *Cognovi* (effatum sonat Salomonis) *Quòd non esset melius, nisi letari, & facere bene in vita sua.* Ne  
Dei

Dei obliviscamur, quinquies hodie communicabimus spiritualiter, præsertim ad utramque refectioem. Quinquies & Psalmum orabimus: *Letatus sum in his, quæ dicta sunt mihi.* Jesu! nolo vivere sine te.

Festum Sacratissimi, & Melliflui Nominis Mariæ.

EXHORTATIUNCULA I.

**F**lectamus genua ò Mariophile! quoties pronuntiabitur Nomen Mariæ. Non enim infortunium est ullum (loquitur S. Anselmus) non est periculum, quod non à nobis avertat hoc Nomen. O nos modicæ fidei! Cur Mariam non invocamus? Vult adesse cunctis obsecrationibus nostris, in cujus manibus verè reposita est omnium salus.

*Instructio meritoria.*

Desidiam emendemus, & Mariam jugiter imploremus. In reverentiam tanti Nominis, quoties illud audierimus pronuntiari, toties quàm humillimè inclinatò capite Matrem salutemus. Pro

Z 5

op-